



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

vt anima gratiæ Dei satisfaciat. 19

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

## LIBER II.

circumplectitur, honoratur, custoditur. O quam forte vinculum & inexplicabilis nodus est iste. Sed ad hæc facile perringere valebimus, si in eius seruitio studiosi esse velimus, si enim pro altioribus donis non laboramus, ipsis minimis indigni sumus. O si attenderemus, quæ & quanta exigendi quandoq; sumus.

Qualiter anima gratiæ Dei satis esse debeat.  
at. Cap. XIX.

**P**orro, vt gratiæ Dei satis esse possimus, Deo omnibus viribus adhærere, & tota nos ei diligentia applicare, atq; per Christum introire debemus: vt videlicet per eius mundum atque vulneratum corpus in nostro corpore mundemur, eiusque sanctissimum corpus induendo, illud ipsum in omni puritate sequamur. Et per eius sanctissimam animam nostra anima cum omnibus viribus suis ad ipsum erigatur ac reformetur. Per eius quoque spiritum noster spiritus libertati restituatur, atque in profundissimum animæ fundum (in quo increata lux diuinitatis inhabitat) introducatur. Et hic coram abyfso illa diuina sese homo prosternere, seque captum reddere debet in simplicitate spiritus & cordis, & cum subiectis viribus, idque sine omni intellectu, formis ac similitudinibus. Quando nanque per Christi imaginem in animæ abyfsum ingressi sumus, omnes illic imagines cedere oportet, sola simplici vniformitate remanente, quia & ipse Deus ibi simplex est. Corâ hac igitur abyfso prosternere sese homo, & in suū nihilū se profundare debet. Et tūc gratia sese demittēs, ipsum in se trahit, & omni eum propri-



MARGARITAE EVANG.

proprietary spoliatis, diuinum quoddam in ipso opus operatur, atque pro eodem opere perpetuam illi mercedem restituet. ¶ Quam nobilis res est ita semetipsum mortificando penetrare, quousque in abyssum veritatis perringat, & Deus ipsum suæ inactiōi aptum efficiat, ipsumque cum anima & corpore amplectetur. Profecto nobilius istud est, quam ea qua ex Deo profluit nostri emanatio. Atque vt ad istud omnes perringere, & in Christi amarissimæ passionis ac preciosi sanguinis balneo lauari, perque tres illas scalas ascendere & introduci, atque in brachijs sponsi protegi & custodiri, & in verum fundum deuenire possimus, prout supradictum est, ad hoc nobis ille præstet auxilium, qui propter nos de summo cœlo descendit, Iesus Christus filius hominis, cum quo nos omnes vniri, & per quem nos omnes ascendere & in vitam ingredi, si saluari velimus, oportet. Ipse namque ait: Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis qui est in cœlo. Et: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, per me videlicet. Væ autem illis qui hac incedere via nolunt, quibus heu nimis anxie atque horribiles viæ in hora mortis eorum pandentur, quando animam caligo & tenebræ operient, & tremor inuadet, & ipsa crudelissime extra corpus suum euulsa, ianuam clausam inueniet. Dum ergo tempus habemus, in hac via ascendere conemur.

Qualiter huius scalæ cacumen cœlum tangat, & qualiter ipsum cœlum in anima sit.

Cap. XX.  
Triplet